



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Antverpiae, 1584

Reverendo Ac Generoso Domino Dn. Iacobo Pamelio Archidiacono Et
Canonico Ecclesiæ Audomaropolitanæ, Theologo eruditiss. Domino suo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)



REVERENDO AC GENE-
ROSO DOMINO DN. IACOBO PAME-
LIO ARCHIDIACONO ET CANONICO ECCLESIAE
Audomaropolitanae, Theologo eruditiss. Domino suo.

Quamquam quod mihi pro tuo iure nuper imperasti, virium mearum modulum excedere videbatur, ampliss. Dn. Archidiacone, non potui tamen nec volui, tibi, cui plurimum debeo, & optimè ex animo volo, pertinaciter refragari. Nam, quum obscuram & reconditam Proverbiorum esse, per se & uniuersè sententiã, non ignorarem; tum in horrido & minime vulgari sermonis genere, cuiusmodi tuus vitur Tertullianus, Proverbia explicare, quæ neque hodie inter eruditos frequentantur; neque apud alios scriptores interpretès ve facile est inuenire, nisi explorata Tertulliani sententiã, sapiùsque iterata lectione (quod tibi uni, qui tot annos in isto Auctore versaris, omnium exactissimè contigisse, auisim confirmare) longè impeditius difficiliùsque existimabam. Tibi proculdubio, qui doctissimis luculentissimisque omnia Tertulliani opera Commentariis illustrasti, & hæc Proverbiales, vel Proverbiorum saltè speciem præ se gerenteis formulas, scholiis, vti omnia, acutissimè explicare, fuit facillimum; nisi & præcipit ante editionem Typographo, & grauioribus magisque seriis in te deuolutis, vt maxima Reip. negotia prætermittam, quibus ita quotidie distringeris, vt subsœciui aliquid temporis tibi ad hæc studia posse te suffurari nõ immeritò miremur) hæc leuioris operæ & præp. rudioribus etiam pertractada committere, & lampada, quod aiunt, aliis tradere coactus esses. Qua in festinatione, quum egregiã tibi operam ponere intelligerem Dn. Michaëlem Ingelmontium, Brugensem tuo beneficio Canonicum, qui tibi toto hoc in opere assiduus fuit à manibus, & in Indicibus vnã tecum dirigendis, studium adhibuit singulare, popularis mei exemplo, quicum & ego multis nominibus tibi essem obstrictus; ad aliquid etiam operæ, tuo præsertim iussu, T. D. ponendum, quantumuis curtæ supellectilis mihi probè conscius, quodam veluti emulationis studio sum animatus. Itaque Proverbialium formularum, quas in ordinem redactas, excerptasque mihi præscripsisti, partim breuiùs, partim prolixius, pro re (nisi fallor) explicuimus. Quæ omnia tamen limatissimo tuo iudicio, & censoriæ eruditionis obeliscis lubentissimè permittimus. Ceterum Deus Opt. Max. T. D. diu Ecclesia nobisque seruet incolumem.

Apud Attrebatos Kalend. Ianuariis. 1583.

R. D. T. addictissimus
Andreas Hoyus Brugensis.